

1738.

1^o Beckius, Ioh. Thoren : De Gesta majorum et
felicissimorum fortunarum nobis in alienatione
2 Temp

2. Dositius, Georgius Fredericus : De vidua resellis et oraphis.
Iuris cautione initia statutri immuni

3. Friesleben, Christianus Henricus : De interpretatione sta-
tutorum ex jure communis

4. Goeckel, Lutetius : De forma iurisdictionis criminalis
apud Germanos

5. Happmann, Burkardus Martinus : De resu practico
utris remedii sori corrupti

6. Kaeler, Io. David : De indebet sede regali et Pern
valyn om van Kriegs-Stadt Lin-Pearas.

7. Schurzius, Christianus Fridericus : De juxta et proxima
statu cunctam tria personatus et. Mart. act.
apert. Cap 107 i 35.

8. Schwarzs, Christian Gall : De fastorum Romanorum
formulis post consulatum

1736

1. Feuerlium, Iac. Gottlob : De mta et meritis Pauli
Tzii

2. Koenig, Joh. Peter : De jure accessoris in legatis

3. Schwarzs, Christ. Gall : De Castella rege Saxonum

4. Schwarzs, Christ. Gall : De Mkt. de abbate brevi
l'Intruzioni alz'quond vicaria imperii

5. Leybold, Buttm. David : De summi monarchoe in se puto
Romano Germanico successore seu rege Romanis
nivale Imperatore electo

6^a - 7^b Veselus, Ioannes Fridericus : In membris hodiernis
et ex consuetudine investitata voribus sine
Imperio directi ac aquilorum concursum quodam

feus' parcialitas subtilis sedis i; omnipotens
conceder valat, et nec successores feudales, descendentes
vel collaterales, illos via d'acte queant?
2 Sept. 1736 i 1753.

7. Willius, Henricus Thomas : De justis iurisdictionibus
Vestigie attributis, i primitis i Francia

1737.

8. Desalvius, Georges Béziers : Legum Faciatio ad
legata p're causae pertinere . . . publica Defen-
sio.

9. Huetel, Iohannes Petrus : De antiquis ac modernis
formis iurisdictionibus

10. Schatzius, Christianus Gottlieb : De Henrici th. Iu.
pertinis Romanis eque i jure iuris iusta coram

3776.

14

cl

DIVINI NVMINIS PRAESIDIO
DE
SVMMI 1736,5
MONARCHAE
IN IMPERIO ROMANO GERMANICO
SVCCCESSORE
SEV
REGE ROMANO
VIVENTE IMPERATORE ELECTO
DISSERTATIONEM
AD D. I. OCTOBR. A. CL IOCCXXXVI.
AVGVSTISSIMI NATALEM
AVTHORITATE
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
IN INCLYTA ALTDORFINA
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTRQVE IVRE HONORES
ET PRIVILEGIA LEGITIME CAPESSENDI
IN AVGVRALITER HABEBIT
BALTHASAR DAVID SEYBOTH
HALA-SVEVUS.

ALTORFII
LITERIS VIDVAE MEYERIAE.

DIGNI NUMINI PRAE TIBI
DE
SUMMI
MONARCHAE
IN TERRA ROMANO-GERMANICO
EXCESSORE
REGI ROMANO
AGASTISIMI NATALIEM
PRO LICHENIA
IN HIC ETATU PROSPERITATE
DIVERSIS IN VARIO FRANCIE HERODIIS
LITERIS ET MUSICALES CRESSENTI
INTERMIXTUS
DVA D SEYDOTH




 lluxit divina annuente Gratia, fau-
 stissimus ille dies, qui INVICTISSI-
 MVM ORBIS GERMANICI MONAR-
 CHAM, GLORIOSISSIMVM IMPE-
 RATOREM nostrum CAROLVM
 SEXTVM ante hos Ll annos toti humano generi au-
 spicatissime exhibuit; Dies, quo personat Germaniam
 publicae hilaritatis vox; Dies, quo conjunctis vocibus
 et animis CLEMENTISSIMO PATRIAE PATRI, cu-
 jus vita et salute totius Germaniae tranquillitas et
 omnia honorum vota abunde continentur, secuturos
 infinito numero annos faustissimos ac felicissimos pre-
 cari, nil prius nihilque antiquius habemus. Ac mihi
 quidem auspiciatissima has luce quaedam insolito con-
 currere videntur, propter quae mibi hic dies augu-
 stior et religionis atque lactitiae plenior esse debeat
 Ille enim dies est, quo sub auspicio GLORIOSISSIMI
 CAESARIS nostri, a Magnifico ICTorum Ordine in
 inclita Academia Altdorfina summorum in utroque

A 2

Iure

Iure Honorum rite capessendorum facultas mihi conceditur. Ex antlatis hinc, quae praetere solent, examinibus, cum in eo occupatus essem, ut argumentum quoddam loco dissertationis, quae inauguralis audit, elaborandum feligerem, aliquantisper dubius haesitavi. Pro inconcussa CAESARIS INVICTISSIMI salute, hoc praecipue die, devotissima nuncupare vota pietas jussit; utpote a qua non solum SERENISSIMAE et ad ornandum genus humanum per tot secula divinitus concessae DOMVS AVSTRIACAE flos atque perennitas, sed et Germaniae ac totius orbis christiani tranquillitas felicitasque dependet. Neque vero ab hoc tempore alienum fore, putavi, si inter ardentissimas pro incolitate CAE SAREAE MAIE STATIS preces, dissertationem de Summi Monarchae in Imperio Romano-Germanico Successore, seu Rege Romano vivente Imperatore electo, dissertationem haberem. Evidem eam rerum et verborum ubertatem atque pulchritudinem, quae ad exhauriendam gravissimi thematis dignitatem requiritur, a me frustra expectari, lubentissime fateor, ea que propter non absolutam, omnibusque numeris perfectam, sed qualiter aetas permittit, discussionem promitto; spe tamen aliqua ducor, non omnino, quae sum commemoraturus, in grata fore, rogans, si quae fortean minus arrideant, ut connivente oculo generosus Lector ea transeat.

§. I. De



§. I.

DE Sacratissimi Imperii nostri Romano - Germano. An forma Im-
nici forma statuque, quot quantaeque jam exti- perii à Dd.
terint inter viros eruditos contentiones, ne- controver-
minem sane, qui primis saltem labris Jurispru-
dentialiae publicae fontes aliquando degustavit, ignorare
puto.

§. II.

Testantur id tot variae Juris publici Doctorum opi- Quaenam
niones, quorum quosdam Monarchiam tueri; alias praecipuae
Aristocratiam asserere, alias Statum exutrisque mixtum sint illorum
defendere, alias denique irregularem, et, nescio quam, opinions?
monstruosam formam, fingere, constat.

§. III.

Testantur idem scripta fere innumera, diversis Recensentur
locis et temporibus desuper in lucem edita, quae sigil. quidam Dd.
latinum hic percepsere, nec charta, nec tempus permittit. qui Imperio

A 3

Ex

monarchicam, Ex omnibus quosdam nominare sufficiat. Vbi pro Monarchia pugnat REINCKINGIVS in *Tr. de Regim. Sec. et Eccl.* Ante illum, post innumeros Veteres, ARVMÆVS in *Discurs. Jur. publ. HORTLEDER de Caus. Belli Germ.* de hinc prae aliis, SCHÜZ in *Coll. Publ. STAMLER de Reserv.* HENNINGIVS de *Summa Imper. Poteſt. circa profana.* LYNCKER in *Analect. Histor. SCHLVTER in Discurs. de ſubject. Summ. Poteſt. et MVLZIVS in Repraefent. Majeſt. Imp. alioquin.* Qui Aristocraticam Imperio formam attribuerunt, pauci quoque non fuit; inter quos eminet BODINVUS in *Methodo Histor. et HYPOLITHVS a LAPIDE de Ratione Status Imp. Rom. Germ.* Mixtum vero Imperii statum eliciunt, LIMNÆVS in *Jur. Publ. VVLTEIVS cum ANTONIO*, quorum velitationes vid. ap. GOLDAST. Part. XIII. pol. *Imp. it. BOECLERV斯 et CONRING. in diff. de Comitiis et alibi*, quibus addatur SCHWEDER in *Introduc. ad jus publ.* Monstrofum denique Imperii formam attributum sibi imaginantur cum SEVERINO de MONZAMBANO de *Statu Imp. Rom. Germ.* LINDHOLZ in *dissert. de Capitul. Caesar. atque PVFFENDORF. de Republ. irregulari, et alii.*

S. IV.

*Quid in gene-
re de hac
queſtione alii
judicent?*

Ipsa quidem queſtio, quam STRYCKIVS ex Relatione BILDERBECKII im teutschen Reichs-Staat P. II. c. 1. §. 9. in notis, plane otiosis et inutilibus annumerat, quam intricata et vexata fit, non demonstratione, sed deploratione potius, egere judicat Ill. LYNCKER in *Speciaſi Diſſerat. de Forma et Statu Imp. ſuperiori ſeculo lenae habita*; cum tot diſſenſionum cauſae, partim a diversis hominum ſtudiis et affectionibus, partim a disciplinae civilis depravationibus, erroribus et deliquiis, exortae sint;

§. 7.

sint ac praesertim non solum ob schemata *τῆς αἰώνης* externa, et administrationis per simulacra adornatae varietatem, a quibusdam non satis a statu distinctam, sed etiam propter civilis scientiae solidioris imperitiam, et inde ortam disciplinarum confusionem, atque alias ibidem allegatas rationes, eruditum et accuratum de statu rerum publicarum iudicium ferre, facile non sit. conf.
LYNCKER cit. *dissert. cap. I.*

§. V.

In hac opinionum varietate, quam in partem trans- *Quaenam Lu-*
eundum sit, cum ambiguum videatur, omnibus forte *dolphi Hugo-*
cautius incessisse putares *LVDOLPHVM HGONEM*, *nis de forma*
qui in *Dissertat.* maxima Doctrina et Eruditione conscri-*Imperii fuerit*
pta: *de Statu Regionum Germaniae, et Regimine Principum,* *opinio?*
summae Imperii Republicae Aemulo, indefinitam relinquens
sententiam, ita se comparasse videtur, ut in Imperii no-
stri Republica, sive Monarchiam declarare, sive Mixtum
ex Monarchia et Aristocratia Statum probare velis, non
sis habiturus eum adversarium.

§. VI.

Ast vero, quo minus absque ulla commissa in Cae- *Quaenam Au-*
sarem adulacione, cuius REINKINGIVM, qui quidem ex *tori de forma*
plurimorum mente in Monarchiae propugnatione Ra- *et statu Impe-*
tiones longe petitas, alienas, infirmas, imo falsas pror- *rii verior vi-*
sus admisit, cum aliis hujus sententiae Defensoribus, *deatur sen-*
arguit SCHWEDER. in *Jur. publ. Part. gen. c. IX. §. 49.* quo *tentia?*
minus, inquam, absque ulla commissa adulacione, eorum
amplectenda sit opinio, qui sano tamen et limitato sensu
proprium Monarchicae Majestatis subiectum in Germano-
rum Imperio Caesarem vincunt, nil prorsus obstatere mi-
hi pro-

hi profecto videtur. Cujus sententiae firmissima veritas, cum a tot tantisque Viris ex instituto de hoc agentibus, dudum sit satis evidenter demonstrata, et ex facundissimo Magnifici Domini RINCKII nostri ore, argumentis ex ipso Legum fundamentalium fonte huius, illarumque praefidio munitis, optime dilucidata, cotti die appareat: eam uberioris hic excutere, ne a praefixo nobis scopo diutius justo detineamur, minus consultum videtur. conf. praeprimis MVLZIVS in Repraesentat. Majestat. Imperat. in proleg. et alii.

*An etiam Rex
Romanus dici
possit Mo-
narcha?*

Sicut ergo AVGVSTISSIMVM IMPERATOREM SVMMVM Imperi nostri MONARCHAM, summo iure dici posse, in aprico est; ita illum quoque, qui, vivente adhuc Caesare, Rex Romanus est electus, atque ut illo defuncto, in ejusdem locum tandem succederet, denominatus, eodem hoc supremae Majestatis titulo insignire, nulli dubitamus; de cuius ad celissimam hancce dignitatem pervenienti ratione haec nostra dissertatio pluribus mentionem faciet.

*Cur Imperium
Germanicum,
dicatur Roma-
num?*

Prius vero, quam ad ipsam dissertationis pertractationem perveniamus, paucis adhuc, cur saepius jam dicatur Imperium etiam Romani nomine audiat, ratio subjicienda erit? Plenissimum quidem in urbem Romanam, olim Imperialem Sedem, ceterasque Imperii Romani partes, Patrimonium Petri, Ducatum Spoletanum et Vrbinum, it. Marchiam Anconitanam, et alia, Pontifices Romanos sibi dominium arrogasse, nemine fuit; tantum vero abesse, ut naturali isthaec per injuriam facta

facta, nullo nec donationis, nec praescriptionis titulo
munita possesio, Jus Imperatoribus nostris optime
quaesitum auferre queat, ut omni potius tempore sal-
vum et integrum permaneat, ex istis apparet, quae de
hisce erudite conscripta inveniuntur ap. CONRINGIVM
de German. Imper. Roman. cap. 13. item LIMNÆVM Lib. I.
c. 5. Hinc etiam haud imerito Imperatores nostros sibi
suoque Imperio, Romanorum Imperatorum et Romani
Imperii titulum vindicare posse, eo facilius quivis largie-
tur, quo certius constat, a primis inde temporibus
hanc loquendi vel scribendi rationem receptam, et per-
petua consuetudine approbatam, deprehendi. Plura vide
ap. RVMELIN. ad A. B. P. I. differt. i. q. 5. ibique in anno-
tat. SPEIDEL. it. LIMNÆVM ad Capitul. Carol. V. voce
Röm. Reich, WVRMSE in Exercitat. jur. publ. i. conclus.
10. Europaisch. Herold P. I. Sect. 2.

§. IX.

His adeo praemissis, ad ea tandem, quae de su- partitio dis-
premi Monarchæ in Imperio Successore, et legitimo sertationis.
ad hancce dignitatem pervenienti modo, dicenda con-
stituimus, ulteriori sine mera progrediamur. Haec
vero cum eadem non sint, commode duobus inclu-
denda membris erit tractatio: ubi ea inprimis, quae
circa modum istum justa, atque saluti publicae proficua,
videntur, qua fieri potest, brevitate exponentur.

§. X.

Ad primum ergo quod attinet membrum, amplis- Primum dis-
simus hic sece offert dicendi vel scribendi campus, ita, sertationis
ut de singulis verba facturo, nec dies sufficeret. Pro membra.
inde, si quantum pro temporis chartaeque spatio licet,

B

quae-

quaedam ex istis tetigero saltem, adeoque in rebus
enarrandis justo parcior fuero, id mihi minus vitio
versum iri, confido.

§. XI.

Quinam ad Imperii dignitatem, perveniendi modus dici possit iustus? Ipsum *iusti* vocabulum multifarie a Dd. accipi, pr. *L. 95. ff. de solut. et L. 7. f. art. ff. de Pacis.* Hinc is denum ad Imperium perveniendi modus censebitur *justus*, qui secundum praescriptam Legum Imperii fundamentalium normam facta, iisdem non repugnat. Exinde, si Aureae Bullae et Capitulacionum Caesarearum argumenta inspicias, vix omnino aliis modus quam qui per liberam Electorum Principum Electionem fit, admitti poterit. vid. A. B. c. 1. seqq.
CAPITVL. FERDIN. IV. LEOPOLD. art. 36. JOSEPH. art. 35. CAROL. VI. art. 2.

§. XII.

Quomodo Electio definiti^r possit? Ipsa autem Electio, si brevem definitionem cupis, hodie nil aliud est, quam actus ille legitimus, quo Imperialis dignitas, juxta praescriptam Aureae Bullae formam, personae idoneae solemniter confertur.

§. XIII.

An non Imperium nostrum olim fuerit hereditarium, et quando cœperit esse electuum? Olim quidem, jam a primis Caroli M. temporibus, in ejusdem posteris ad Henricum IV. usque, Imperii successionem mere hereditariam fuisse, extra omnem dubitationis Aleam positum esse, quibusdam videtur, quicquid hic contra moliatur HOTTO MANVS in Franco-Gallia, GROTIUS de Jure Belli et Pac. et STRAVCHIVS ad cap. Venerab. X. de Electo et Electi potestate. vid. BIEDER- BECK

BECK im teutschen Reichs-Staat P. II. c. 4. §. 4. Medium vero eligunt CONRINGIUS, in not. ad Lampad. MAVRITIUS in Differt. de Orig. Elect. item RACHELIUS de Cap. Reg. Germ. qui neque hereditariam, neque electitiam, sed ex utrisque mixtam succedendi rationem, istis temporibus agnoscunt. Quicquid autem sit, hoc à quoquam vix in dubium vocatur, quod Henrici IV. aetate demum, hereditario successionis jure in totum abrogato, in Comitiis Forchheimensibus Anno 1077. primum de Electione in futurum constitutio facta fit, quae ap. GOLDAST. Tom. I. fol. 238. extans, num. 4. expresse „perhibet, ut regia potestas nulli per hereditatem, sicut „ante fuit consuetudo, cederet, sed filius Regis, etiamsi „valde dignus esset, per Electionem spontaneam magis, quam per successionis Lineam, Rex proveniret. „Si vero non esset dignus Filius, vel si noller eum Ponus, quem Regem facere vellet, haberet in potestate populus. Atque sic in posterum hereditaria Successio temperata, praecipue autem Interregni tempore fere est sublata. conf. BILDERBECK alleg. loc. CONRING. Differt. de Sept. Imp. MAVRITIUS diff. de Orig. Elect. MONZAMBANVS de Statu Imp. Germ. c. 4. §. 1. ejusque Commen- tat. KVLPIIS. et THOMAS.

§. XIV.

Ipsum denique electionis actum, non a certo Principum ordine, sed universo populo, Principibus nimis, Episcopis, Comitibus, Nobilibus, et Civitatibus, peractum esse, contra BELLARMIN. L. 3. de translat. Imp. acta? strenue defendit LEHMANN. in Chron. Spir. conf. EUROP.

HEROLD. P. I. pag. 190.

*A quibus olim
Electio Regum*

§. XV.

*Quid de Ori-
gine Princi-
pum Elec-
torum nota-
dum.*

Et quamvis non defuerint, qui primam Electorum eorumque Jurium originem sedulo inquisiverint, horum plerique tamen, LVDWELLO teste, *in dissert. de Jur. Princip. penes quos est Elect. Imp. Rom.* de crassâ et supina Monachorum negligentia queruntur, utpote penes quos fere solos olim Reipublicae literariae administratio fuit, quique in paschalibus et natalitiis, quae Imperatores celebrarunt, enarrandis, occupati, de hac quidem re, ne verbum quidem posteritati reliquerunt; quo etiam factum, ut posteri, non habentes, cuius fidem sequentur, ex verisimilibus circumstantiis veritatem impense quaesitant difficuler invenerint, et quot capita, tot hac in re sententiarum divortia fecerint, vid. omnino LVDWELLI, cuius verbis hic usus sum, *Dissertat. cit. §. 7. et 8.* ibique PEVCER. *Chron. in gest. Otton. III. ONVPHR. de Comitiis,* et SIMON SCHARDIVM de Elect.

§. XVI.

*Quenam
recentior sit
de Origine
Electorum
opinio, et quo
jure ipsis jus
eligendi com-
petat?*

In veterata quidem opinione, quae dictum modo SIM. SCHARDIVM, Imperialis Cameræ Assessorem, item CHRISTOPH. GEWOLDVM, aliosque maximos Defensores habuit, ultra duo secula, judice HEGIO P. I. q. 3. n. 13. vulgo creditum est, prima Principum Electorum incunabula maxime ex Ottonis III. Imperatoris aetate derivanda esse, quod vero ex traditione potius, quam certo alias fundamento historico, factum esse judicat MVLZIUS *in Repraesentat. Majest. Imperat. P. II. c. 20. p. 664.* n. 41. Alias porro Dd. sententias vid. ap. GVNTHER. *in dissert. de SS. Rom. Germ. Imp. Comitiis,* quas late examinat SCHWEDER. *in Jur. Publ. P. II. Sect. III. c. 2.* eam cum Neotericis amplectens, qui Illustrissimi Electoralis Ordinis origi-

originem Friderici II. temporibus adscribunt, ad quos Lectorem potius remittere, quam omnia hic transcribere, malumus. Hoc certum omnino est, Caesarum eligendorum Jus inveterata consuetudine, diuturno usu Electoribus quaeſitum, unanimi Procerum conſenſu, expreſſa A. B. Lege, ſtabilitum eſſe atque conſirmatum, et hinc Electoralia Jura de jure et antiqua conſuetudine iſtis competere rectiſſime affiſmatur. vid. A. B. tit. 1. pr. t. 4. §. 2. 3. t. 5. §. 3. t. 9. §. 2. GVNTHER. cit. diſſ. §. XIV. EUROP. HEROLD P. I. ſect. 2.

§. XVII.

Vt vero natura rerum ad Monarchiae Successionis rationem pertinentium penitus intelligatur, notanda electio divi- quoque eſt decantata Elec̄tionis in ordinariam et extraor- datur? dinariam diviſio. Illam dicunt, quae folio imperiali quo- cunque modo, morte, vel resignatione vacante; hanc vero, quae vivo et ſceptrum adhuc gerente Imperatore, peragitur. conf. DOCTOR. Jur. Publ. fere omnes.

§. XVIII.

Diviſio autem haec, quo praecipue fundamento ni- Quid de hac tatur, nec hic inter ſe conſentiuunt. Auream Bullam enim diviſione no- tanquam unicam fere ſuſceſſionis normam, de extra- tandum fit? ordinaria, quae Regis Romani ſit, elec̄tione, nihil quic- quam definire, contra CARPOVIVM de R. G. c. II. ſect. 3. et alios evincit DIETERICH ad A. B. it. LIMNAEVS in Jur. Publ. L. II. c. 15. Quim vero post latam hodie Capitula- tionis Legem, firmiſſimo munita ſit praefidio, omni du- bitandi anſa praefluſa, an vivo Imperatore eligi poſſit Successor, motam ideo quaefiſionem vix habebis, quod omnino ut fiat, publicam aliquando exigere Reipubli- cae

cae salutem, ex iis, quae mox infra dicemus, apparebit.
vid. CAPITVL. LEOPOLD. art. 36. IOSEPH. art. 35.
CAROL. VI. art. 3.

§. XIX.

Quamvis autem, qui vivo adhuc Imperatore in futurum ejus successorem est electus Rex Romanus, ab Romanus in- ipso quidem Caesare in quibusdam differat; multum ter se differentiamen eos inter se rursus convenire palam est. Prius et convenient? quod attinet, ratione insignium, tituli et potestatis praecipua fere differentia exserit. Sic Regem Romanum loco Insignis Aquila simplici saltem uti, cum Caesar bicipiti utatur, LIMNÆVS ad Cap. Ferd. I. refert; Regem Romanum porro ab Imperatore, Eure Liebden, salutari, hunc vero a Rege titulo Majestatis et Domini honorari, docet REC. IMP. de A. 1542. §. und dieweil. REC. IMP. de A. 1542. §. damit auch. REC. IMP. de A. 1555. §. solches alles &c. de quibus vid. LIMNÆVS ad Capitul. Maximil. II. art. 18. LINCKER ad BÖCKLER. de R. Rom. Potestatem autem quod concernit, illa omnino variat, prout Romanus Rex vel Consors et Coimperator aut Vicarius Imperii, vel simpliciter tanquam Successor in Imperio est electus, certisque pactis et Capitulatione est conscriptus. conf. KLUMPF. diss. de Privileg. Henr. VII. Rom. reg. c. 11. p. 58. Cujus rei exempla vide sis ap. SCHWEDER. in Introd. ad Jus publ. Part. Spec. Seet. I. c. 3. §. 9. Verum ratione summae in Imperio dignitatis inter Regem et Imperatorem, salva modo huic praerogativa, nullam omnino intercedere differentiam, ex ipsis liquet, quae exhibet alleg. SCHWEDER in Jur. publ. Part. Spec. Seet. I. §. 3. et 10. sic sumnam post Caesarem nanciscitur existimationem, atque inde omnibus et singulis Imperii statibus praefertur, vid. REC. IMP. de A. 1555. §. und im Gall. uti Majestatis quoque titulus, adhibitis subjectionis formulis, eidem a nemine denegatur, et reliqua. §. XX.

§. XX.

Personam denique in futurum Imperii successorem Quae n. m.
eligendam quod attinet, maxime sit idonea, sec. expres- persona eligi
sum A. B. tenorem, ubi, ut Electores Principes ante debeat?
instituendam Regis Electionem precibus Deum rogent,
clare perhibetur, quo ipsorum corda Sancti Spiritus
afflati illustrentur, ipsique Principem justum, pius, et
utilem, eligere valeant, qui idoneus existat. vid. alleg.

A. B. tit. 2.

§. XXI.

Vt vero ex praescripta ibidem jurisjurandi ab Eleotori. Quid de Regis
bus praefundi formula satis superque constat, ea, quae neo - eligendi
de Regis Neo - eligendi idoneitate, ut cum aliis ita lo- idoneitate no-
quar, notari ceteroquin possent, ad Electorum disre- tandum, et an
tionem pleraque redire, vid. omnino all. A. B. text. t. 2. alius, quam
g. 3. ita, an et alio, quam Germanus, Imperialis digni- eligi debeat?
tas juste conferri possit, gravissimam olim exortam esse
controversiam, ita docent, quae tempore CAROLI V.
et FRANCISCI I. ventilata scimus. vid. SLEID. L. I.
p. 20. Qui ad Imperii fastigia extraneis spem praecidunt,
in eo, quis sit Germanus, mirum quam variant, vid.
COCCIVS in Jur. publ. prud. C. VIII. §. 3. atque ad Con-
stitutionem ab OTTO III. Anno Christi 1002. latam
provocant, BYXTORFIVS ad A. B. conclus. 31. lit. d. quos
tamen sententiam suam haud satis probare judicat HOR-
NIVS in Jur. Publ. c. 17. §. 8. Alii rectius id a longa et im-
memoriali sancte haeretens in Imperio conservata con-
suetudine, vel inveterata observantia, peti autumat
SCHWED. R. in Jur. publ. Part. spec. Sect. I. c. 2. p. 190. ibique
HIRM. HERMES c. VIII. q. 10. Vtramque autem que-
stionem Jure communi et Gentium decifam, et utroque
Jure

Jure satis constare, vult *Cocceius in Jur. publ. c. VIII.*
§. 3.

§. XXII.

*Modus et
forma Regem
eligendi re-
censetur.*

Vt tandem de forma Monarcham in Imperio suc-
cessorem eligendi, quaedam subjiciamus, ordinis ratio
requirit. Ipsa autem electio variis solennium saepe quo-
que variantium ambagibus peragi solet. Quod si vero
& haec ipsa justa censenda sit, omnes omnino Actus le-
ge et invariato usu constitutos in ea observandos esse,
nemo negaverit. Quorum autem longa series, cum
brevi spatio yix includi possit, ne justo prolixiores si-
mus, neque praescriptos dissertationis limites excede-
mus, sola quorundam illorum nominatione contenti,
ad perspicuos Aureae Bullae textus, aliorumque hac de-
re ex instituto agentium Libros, brevitatis studio lecto-
rem remittere licet. Eo autem rem maxime redire li-
quet, ut, Electoribus a Moguntino Electore, per for-
mulam praescriptam A. B. t. 18. hodie germanicam,
convocatis, hi praestito ipsis, si mature petant condu-
ctu, vel per se, vel per Nuncios, intra tres a die inti-
mationis menses, regulariter Francofurti compareant.
A. B. tit. 1. §. 18. Facta intra legitimum tempus com-
paritione, ut Electores, illorumque Comitatum ab o-
mni injuria defendere, eoque fine nullum hoc tempore
in urbe peregrinum ferre velint, Senatus, Cives, atque
Milites Francofurtensis Civitatis jurato permittunt. A. B.
t. 1. in fin. denique post peracta inter advenientes Elec-
tores Visitationum solennia de Capitulatione aliquis
necessariis mutuo deliberatur. Quibus omnibus recte
constitutis, statu tandem die, de urbis praetorio, vulgo
dem Römer, ad S. Bartholomai templum & Electionis
Actum, Electorali habitu, & in equos ascensi, magna
quidem

quidem pompa, in sacro tamen silentio ducuntur; ubi
celebratis in dicto templo sacris A. B. f. 2. §. 1. ex sub-
sellii ferico rubro vestitis, ad Altare procedunt et, pae-
legente Treyirensi, Moguntinus primo, tum, praecun-
te hoc, reliqui ordine consueto solenne jusjurandum, de
Electione absque omni pacto, stipendio, pretio et pro-
missio suscipienda, praestant, Clerici digitis pectori, re-
liqui Evangelio impositis. A. B. t. 2. §. 1. 3. quo etiam
facto, implorata Sancti Spiritus gratia, post ingressum
in Electionis Conclave, rogante Moguntino, qui suam
ultimo fert sententiam, per suffragia Rex eligitur A. B.
t. 4. §. 3. quam porro legitimam Electionem adhuc alia
sequuntur quam plurima, quae tamen nec quidem tan-
gere temporis angustia permittit.

§. XXIII.

Iis jam expositis, quae de Electione, ejusque defini-
tione, divisione, forma, et aliis notare licuit, haec de
primo dissertationis Membro dicta sufficient: nunc ad ^{Alterum dis-}
^{sertationis} membrum.
alterum properantes, de iis, quae circa modum supre-
num in Imperio Monarcham Successorem constituen-
di, utilissima, et licet expressa lege determinata non sint,
maxime tamen proficia sunt, verba faciamus.

§. XXIV.

Salus publica, quin Suprema Reipublicae lex sit ^{An omnia,}
nemo temere dubitat; hinc ea non minus, quae huic ^{quae Reip.}
repugnant, tanquam summe pestifera cane et angue ^{prosunt scri-}
pejus fugienda, quam illa, per quae dicta salus mactule ^{ptis determi-}
promovetur, minime negligenda, sed omni potius cura ^{nari possint,}
et labore expetienda esse, sua sponte sequitur. Haec ^{et quae supre-}
vero, ita comparata esse constat, ut Legibus specifice ^{ma Lex fit?}
C deter-

determinari haud queant; verum pro varia temporum, aliorumque eventum circumstantia, quae utramque paginam facit, maximopere varient, proinde, ut, quae magno hodie applausu recipitur Lex, si alio forte tempore promulgetur, prorsus improbetur. vid. BYDD. Phil. pr. P. III. C. V. S. IV. §. 8. Hinc illi quoque, quibus summa Leges ferendi concredata est potestas, ne crebra et odiosa permutatione Leges sint obnoxiae, id demum agunt, ut ea saltem, quae plerunque accidere solent, et ipso publicae salutis fundamento quasi insunt, fancitis pocurent, ceterorum suo tempore rationem habituri. L. 10. ff. de Legibus.

§. XXV.

*An eadem in
Imperio nostro
obtineant?*

Haec, quae generatim a nobis dicta sunt, in Imperio nostro Romano-Germanico locum quoque obtinent; ubi de Eleccione, eamque peragendi modo, posteriora demum constituta scimus, iis, quae praeter ista Reipublicae maxime conducunt, excelsissimorum Eleitorum atque statuum integratam, curae atque sollicitudini relictis.

§. XXVI.

*An Imperio
nostro expe-
ditat, ut vi-
cente adduc-
Imperatore
Rex Romanus
eligatur?*

In tanta autem eorum, quae hic collineare solent, copia, de uno et altero saltem, animi qua decet, submissione atque pia pro patriae salutis propensione et affectu paucis disserrere luet. Primo quidem, an vivo adhuc Imperatore futurus Imperii successor eligendus sit, patris discutiamus. Quamvis autem ex allatis supra Capitul. Legibus satis superque constet, quod ejusmodi Eleccio, quae extraordinaria audit, omnino fieri hodie possit: eam tamen a multis tanquam libertati et Rei-

Reipublicae incolumitati contraria valdeque periculosa rejici et coastam dici, ex iis patet, quae ex Dn. H. descript. Imp. p. 2. refert SCHWED. in Jur. publ. P. II. S. I. c. 3. §. 3. Gallos itidem atque Suecos in Westphaliae Pacis tractatibus olim tabulis inseri voluisse, notum est, Caesari, non nisi defuncto, Successorem surrogandum esse; quae vero cum in Serenissimae Austriacorum Domus odium postulata saltem videbantur, ordines assensum suum fortiter denegasse, illius temporis historia docet.

§. XXVII.

Verum enim vero, cum in hac, quae vivo Imperatore peragitur, electione, non minus libertatis, quam in ea, quae post mortem hujus suscipitur, Eletores habent, per illam quoque publicae tranquillitati, quam optime consuli posse, nemo cordatorum negabit. Neque profecto alia quacunque ratione melius servari poterit publica salus et tranquillitas, quam dum superstite Imperatore Romanum Regem eligendo, prayae aliorum spes cohibentur, atque certo futuro Imperii Successore constituto, quicquid turbulenti demum ex ambigua post electione vel Interregno metuendum esset, quam longissime removetur. conf. alleg. SCHWED. l. c.

§. XXVIII.

Ut supremus Imperii Monarcha Successor, solenni-
tatibus consuetis eligatur, Germanorum libertati con-
sentaneum videri, ex iis, quae supra a nobis allegata
sunt, apparet, ne tamen ab ipsa Imperatoris familia, si
idoneum exhibit, alium eligendo recedatur, itidem po-
stulat publica salus.

C 2

*An saluti
publicae in-
terfit, ut
eligendo Suc-
cessorem in
Imperio, ab
Imperatoris
familia rece-
datur?*

§. XXIX.

¶ XXIX.

*Neglecta Cae-
sarum familia
quaenam ex-
inde orta fue-
rint mala?*

Ex quo enim de Imperii Successore per electionem constituendo in Comitiis Forchheimensibus Lex lata erat, ingentes profecto ob Regis vel Imperatoris Electionem turbas esse exortas, historiarum monumenta docent. Plurimi saepe Imperialis dignitatis consequendae desiderio laborabant, quilibet se dignorem, potentiores vel opulentiores probans, primas in Republica sibi arrogare nitebatur. Haud raro hinc uno eodemque tempore duo pluresve electos esse novimus, qui inter se commissi, non nisi funestissimo bello rem diremerunt. conf. CONRINGIVS de Negot. Comit. Imp. §. 32. Quibus gravioribus certe exinde provenientibus malis ut obex ponatur, maximam postea in eligendo semper sanguinis Regii rationem haud infelici successu veteres habuerunt, qua quidem ex re, tanta in Germaniam redundavit utilitas, ut CONRINGIVS in eo fere solo certissimum Imperii fundamentum positum esse reputet, nec referente SCHWEDERO, edicere vereatur, quod si non priscus ille modus aliquo modo in usum revocatus, talisque antiquae Germanorum similis rursus recepta fuisset Electio, fortassis iam tota perifisset Res publica. SCHVVED. in Introd. ad Jus Publ. Part. Spec. Sect. I. c. I. §. 18.

*Quaenam po-
tissimum ra-
tiones mo-
veant, ob-
quas ab Im-
peratorum
familia non
facile recedi-
debeat?*

¶ XXX.

Et profecto quum tantum ab Imperii redditibus Caesar habere nequit, ut vel se suamque Aulam pro dignitate exhibere, nedum Imperiale et in supremo gradu necessariam pompam tueri possit; quum neminem porro fugiat, quantis obnoxius sit periculis, quanti labores,

labores, molestiaeque sint preferendae; cui dubium certe erit, quin tot sumtibus aliisque omni dexteritate, fide et labore pro publica tranquillitate susceptis negotiis, quasi in cassum a Parentibus impensis, e tanto fastigio in privatam recidere fortunam et primatibus pari subjici Familiae Caesareae omnino durum et grave sit, civibus vero mutatis adversisque studiis ob turbas funestum, totique Reipublicae periculosum. conf.
LIMNEVS *Jur. Publ. L. II. C. 10. n. 13. COCCEIVS in Jur. Publ. prud. C. VII. §. 16.* Unde pro meritis numquam satis praedicari poterit laudibus, si affectu vere paterno moti Principes, Caesarem eligunt ex familia, quae Imperio assueta, et ad id formata, atque ad ejus vim et autoritatem opibus jam est instrueta. Neque propterea tamen, si longissimo quoque tempore ex una eademque Domo electi fuerint, jus aliquod ad Imperialem dignitatem sibi familia acquiret, neque Elezioniis libertati quicquam detraheret, cum interposita omnino cautione debita, id fieri possit et soleat.
HORN, *Jur. Publ. C. XVII. §. 3. aliisque.*

S. XXXI.

Hisce, quae hactenus a nobis allata sunt, robur maximum quoque addit illustrissimum AVSTRIACA Exemplum serenissima DOMVS Exemplum, in qua fortuna regnandi conse- Domo Au- nuit, et, ut cum BARCLAIO loquar, Caesarum praeftriaca, reverentia adeo vivit in posteris, ut vel cunae Liberorum in purpuram natorum tacita confessione fortis nostrae nos tangat, nec iis indignemur parere, quos priusquam lucem tubeant, scimus nasci dignos ut imperent. AVSTRIACOS enim in SERE- NISSIMA SVA FAMILIA dignitatem caesaream tam- diu

diu haec tenus continuasse, quod vix ulla sit praeter ipsam per Germaniam Domus, quae ejus fastigii splendorem propriis redditibus tolerare queat, probe observandum inculcat MONZAMBANVS de statu Imperii Germanici, C. 2. §. 4. Hinc quoque, cum GLORTOSISSIMI LEOPOLDI tempore, Rex Gallorum sublimissimo Electorum Collegio, Bavariae Ducem Ferdinandum Mariam, ut eum Imperatorem eligerent, obtrudere summo studio conaretur, hic Ferdinandus Bavariae Dux atque Elector, tanti fastigii se imparem sentiens, ex hac ratione Caesaream dignitatem sponte repudiisse, legitur apud KÖLERVM in der teutschen Reichs-Historie p. 587. ex relatione fidei dignissima du Marechall de Grammont dansles Memoires. Amstel. 1717. imo, quamvis infensissimus ille AVSTRIACAE DOMVS hostis HYPO-LITHVS A LAPIDE nefandum illud summo gradu de-jiciendi et extirpandi Austriacos consilium suggerat, nec ipse tamen diffiteri potuit, novam Caesaris Electio-nem, Austriacis depresso imperio valde nocitaram esse. HYPOLITHVS de Rat. stat. p. 3. c. 2. quae latius deducta leguntur apud TEXTOREM in Tr. de Rat. status Cap. X. et XI. Cur itaque serenissimus Electorum ordo citra ullum tamen libertatis praejudicium ex sola hac GLORIOSISSIMA AVSTRIACORVM FAMILIA, quae oppositum immanitati turcicae murum fortissimum praefstat, ob infinita Antecessorum Merita, Honorem et Potentiam per unum et alterum jam seculum incorrupta serie, Imperatores elegerit nemo fere quisquam, nisi infensus salutis publice hostis miratur; cum omnes omnino, quibus Reipublicae totius incolumitas voti curaeque est, id potius agnoscant, quod contingente etiam casu, quem ut Deus avertat, commune votum est, si deficeret

ceret in Austriaca Domo masculina proles Novemvirium Vota ob rationes supra allegatas erga illum Principem, qui connubio cum Archiducissa simul tanti Matrimonii Dominus evadit, si publica salute nil prius habetur, inclinare debeat. vid. BRVNNE M. Exam. Jur. publ. L. II. C. I. 98.

§. XXXII.

Tantum ergo de gravissimo hocce themate non pro materiae quidem dignitate, sed ingenii viriumque facultate atque temporis ratione differuisse sufficiat. Proximum nunc erit, ut pro incolumitate GLORIOSISSIMI IMPERATORIS nostri CAROLI VI., sub cuius augustissima tutela haecce Musarum sedes sarta teataque hactenus floruit, vota devotissima nuncupem. Magna autem mihi omnino gratulandii est occasio, quod eo praecipue die id publice facere mihi contingit, quo universam Germaniam personat publica hilaritatis vox. Hodiernus enim dies est, qui CLEMENTISSIMUM PATRIAEM PATREM CAROLVM VI. INVICTISSIMUM MONARCHAM Principem omni laudis atque honoris gloria superiorem terrarum orbi primum exhibuit. Orditur hodie secundum et quinquagesimum vitae annum Princeps orbis terrarum summus, dignissimusque, cuius aetas nullis temporum decursibus, nulla siderum revolutione terminetur. Quod si enim, quo quisque plura pro suo in Rempublicam affectu et propensione negotia subiit, plus vigilantiae suscepit, pluribus animi curis, paterni quasi amoris instinctu, agitatus est, quibus ad gubernacula sedens et clavum Imperii tenens civium suorum incolumitatem, sartam, teatam et ab omni calamitatum genere tutam praestaret; eo plus honoris atque gloriae existis

*Votum pro
Salute Au-
gustissimi
CAESARIS
nōstri.*

existis ad eum proverire necesse est; quis dubitet, quin SVMMVS noster MONARCHA tanto maiore omnino gloria caeteros excellat, quanto non hujus modo memoriae, sed omnium fere aetatum ac seculorum Caesares, graviore atque constantiore pro salute et inconsueta sacratissimi Imperii nostri tranquillitate, cura et labore, imo singulari quadam paternae voluntatis propensione supererat. Ille virtutis, pietatis, justitiae et amoris, et circumspectae pro Germaniae salute sollicitudinis suae tam multa tamque insignia Pace et Bello documenta dedit, ut quibus sub GLORIOSISSIMI CAROLI VI. Auspicio et praesidio vivere contingit, non sibi invicem ipsis tantum de tanta tamque inusitata felicitate gratulentur, verum etiam tanti Monarchae et Patriae Patris Vitam in hoc orbe, si fieri posset, immortalem Ejusque Imperium nullo unquam temporis tractu finitum, sed perpetuo duraturum, conjunctis animis votisque exoptent. Et quid enim non bonorum Cives sperare possunt ab eo, qui medias inter bellorum tempestates, illis sedatis, pacem omnibus triumphis potiorem Germaniae, nil minus tale speranti, nuperrime reddidit? Mirum hinc non est, si tot regnorum Cives amore simul, atque veneratione, qualem nullus unquam erga Principes suos populus sensit, impulsi, certatim per omnes provincias insolitis AVGVSTISSIMVM HVNC IMPERATOREM, honoribus colant, omnisque Orbis dignum judicet, qui non tantum quam latissime in his terris regnet, sed regnare etiam nunquam definit. Pergis adeo AVGVSTISSIME CAESAR pergis eandem nobis laetitiam orbi eandem admirationem, quotidie offerre. Tua Virtute et sollicitudine habemus pacem, florent commercia, vigint crescuntque artes, atque etiam libera-

liberalibus hisce studiis a cura, a beneficiis et exemplo
tuo maximum incrementum accessit; insuper indesi-
nenti studio laboras, ut quicquid denique sit, quo
praesens aureorum temporum felicitas ullo modo labo-
factari, vel etiam post fata TVA, quae numen longissime
removeat, in discrimen saltem adduci possit, prorsus
eliminetur, omnisque mali tandem exsurgentis occasio-
penitus praescindatur. Nonne haec tot et tanta sunt
GLORIOSISSIMI CAROLI in genus humanum bene-
ficia, ut neque praesens, neque ulla unquam futura aetas
oblivisci possit, quantum **INDVLGENTISSI-
MO HVIC PATRIAE PATRI** debeat Germania.
Nunc vero quid muneris nostri esse putemus, aliud,
quam ut hodierno diei, qui tantum boni nobis attulit,
bene precemur, ut saepissime felix ille redeat, et, quem-
admodum haetenus, ita et in posterum, nova subinde
et prioribus annis inaudita miracula referat? Itaque id
a Deo, qui **AVGVSTISSIMVM CAROLVM** nostrum
Germaniae orbique dedit, piis precibus flagitemus, ut
hunc **OPTIMVM MAXIMVMque Orbis terrarum
PRINCIPEM** tamdiu praesesse populis, vicesque peragere
suas vegetum et felicem ultra humanae aetatis limites
jubeat, quam diu ad salutem publicam perennemque glo-
riam **AVGVSTISSIMÆ GENTIS AVSTRIAE** intererit,
intererit autem perpetuo, **TANTVM TAMQVE PIVM,
FORTEM, FELICEM, et CONSTANTEM IMPE-
RATOREM** rebus humanis interesse. Servet ergo
SUPREMVM NVMEN, excelsissimus Regum atque
Principum Praeses, servet cum **AVGVSTISSIMA CON-
IVGE, SERENISSIMA SOBOLE, SERENISSIMO-**
que GENERO omniqe **AVSTRIORVM FAMILIA**
INVICTISSIMVM ORBIS TERRARVM MONAR-


D

CHAM

CHAM CAROLVM SEXTVM ! Servet hoc , nobis
qui dedit , depositum ; Servet EVM omni Gloriae et
felicitatis ubertate florentem , et largiatur EI prosperos
supra vota successus , ejusque Consilia ex omni parte
fortunet . Faxit , ut et illud de futuro successore nego-
tium CAESARAE MAIESTATIS Votis optime cedat ;
quem Regem formabit CAROLVS , amet firmetque
Deus . Redeat , saepissime redeat hodierna Lux fau-
rissima , ipsumque AVGVSTISSIMVM CAESAREM
prospere valentem saepius adhuc saepiusque aspiciat .

Valeat CAROLVS , felicissime imperet ,
diutissime vivat !


FINIS.




CHAM
CAROLVM SEXTVM

15


K





Altdorf, Diss., 1735-37
X 238 7090

B.I.G.



3776. 14
DIVINI NVMINIS PRAESIDIO
DE
SVMMI MONARCHAE
IN IMPERIO ROMANO GERMANICO
SUCCESSORE
SEV
REGE ROMANO
VIVENTE IMPERATORE ELECTO
DISSERTATIONEM
AD D. I. OCTOBR. A. C^o IDCCXXXVI.
AVGVSTISSIMI NATALEM
AVTHORITATE
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
IN INCLYTA ALTDORFINA
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
ET PRIVILEGIA LEGITIME CAPESSENDI
IN AVGVRALITER HABEBIT
BALTHASAR DAVID SEYBOTH
HALA-SVEVUS.

ALTORFII
LITERIS VIDVAE MEYERIAE.